

Eruditissimo Viro,
Christiano Crusio,
Eloq. Professori
S.
Helius, P. P.

Una fidelia duos tu parietes, Vir Excellentissime, dealbasti, an denigrasti? cum de Hunnis
commentationem meam, (nugae sint, per me licet,) elegantissima eruditissimaque recensione tua, non
commendasti solum atque orasti laudibus, sed interpretatus etiam es, correxisti, emendasti, au-
xisti, ut ne scilicet metum in errorem essent lecturi, Hunnos, Avares, Hungaros, eandem gentem
esse, et si diversorum temporum, diversas colonias. Duplex igitur beneficio me tibi derivatum
habet, daturum operam, ut non in hominem ingratum collocata possint videri. Eam ego recen-
sionem tuam, ne per quidem mutato, Aetio Eruditum inserui, nisi quod illa verba deleui,
quae calamum tuum, se neque cogitante, scripserat, Helium cum ignavis hominibus, et cum vulgo,
Avares Hunnos dixisse. Addidi sub finem lineas aliquot, ut plagula integra recensione tua
impleteretur, possetque commode a reliquis mensis Julii plagulis avelli, quod municipis meus,
Paulus Fabri, a me petierat. Quod ad sententiam tuam attinet, eam ego, (nam sedo iustus
salva amicitia me facere posse,) quamprimum occasio rediderit, forte in ipso Actio, consu-
tabo. Avares Hunni sunt, et, quod spero, manebunt: Attila, perpetua luce dignus, non Cimerio
tenebris, omni tempore habebitur: Hungari, cives mei, Ugi veterum, Hunnorum colonia, (qualis etiam
illa fuit quae in Persidem secessit, Turcorum nomen natta; forte litterarum transpositione, ita ut ex
Ugi factum sit Ugi, Turgi, etc.) manebunt. Sed de his suo tempore. Quod de Erlangeri homine
scribis, id omne ignoro; iudicandi libertatem habet eam, quam in rebus litterariis tibi. ipse mihi
tribuo. Igitur, quicquid de me forte inclementius dixit quisquis est, equissimo animo sero. Tamen,
scire cupio, quid scripserit, id ut mihi significes vehementer a te peto. Jam Corvinum ad te
mitto, de Chinnifari, Rege Armeniae, deque Araxidarum Epocha; Froelichium item, qui dubia
adversus elegantem tunc eruditissimi Caspini libellum, Vindebonae edidit. Utrumque hunc librum,

recenseri in Acta nostra, vehementer cupio. Tu, qui in istis rebus omnibus lyncus es,
 et, (quod nuper ad Globigium, communem Patrum nostrum, totidem verbis scripsi, cum lau-
 darem tuam ornandis Actis Lips. benevolentiam,) Wittebergenfium Professorum a bonarum
 litterarum scientia instructissimus, facile indicabis, cui ex duobus palma tribuenda sit. Posteri-
 in recensione ad tabb. exas numerorum provocare, nam numeros, quos uterque exhibuit, esse
 exprimi curabo. An cuique libro suam recensione[m], an utrique unam adparem velis,
 tuo iudicio relinquo. Mibi prius, lectorum amodo, et tui causa, probaretur. Addidi mea-
 rum iterum nugarum aliquid, de Baronatibus Regni Hungariae, quod, si dignum iudica-
 veris, tua itidem opera commendationem accipit in Actis. Vide, Vir Excellentissime, quam ego
 sem homo incommodus? qui tua tempora istis meis peribus mores. Tamen, ut ne omnino gra-
 tuita sit tua ista Actis impensa opera, curabo, efficiamque, ut, quamprimum ad me Legimus
 et Fradichius redierint, munusculum accipias librorum aliquot, tuae Bibliothecae infundendam,
 quarum iam sunt aliqui in manibus meis. Jam Vale, Vir Excellentissime, et ne ama-
 Ego te in oculis zero, Amicorum Optime, neque unquam committam, ut de meo in Te
 studio iure dubites. Iterum vale, ac perpetuum. Scrib. Lips. d. IX. Quint. anno cccvii.

Habere exemplum Carminum Boehmii nostri? Fac, queso, ut etiam de his aliquid sit
 in Actis nostris, ne, quod fecit Barsthor, exteri putent, vix latino se Musas loqui
 Lippial.